



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Aelii Lampridii Antoninvs Diadvmenvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

actibi afferre uoluisti, cum iam aliorum ante tulerimus. Scribere autem ordiar, qui post sequentur, quorum Alexander optimus & cum uera dicendus assertio-
 ne, & annorum tredecim princeps, semestres alij & uix annui & bimi, Aurelia-
 nus præcipuus. & horum omnium decus, autor tui generis Claudius. De quo
 uereor ad clementiam tuam scribens uera dicere, ne male uolis adulatus uidear
 esse. Sed absoluar contra liuorem improborum, cum & apud alios clarum esse
 perspexerim. His iungendi sunt Diocletianus, aurei parens sæculi, & Maximia-
 nus, ut uulgo dicitur, cæteriç ferrei ad pietatem tuam. Te uero Auguste uene-
 rabilis, multis paginis, ijsdemq; disertioribus illi prosequuntur, quibus id felici-
 or natura detulerit. His addedi sunt Licinius Seuerus, Alexander atq; Maxen-
 tius. Quorum omnium ius in ditionem tuam deuenit: sed ita ut nihil eorū uir-
 tuti derogetur. Non enim ego id faciam, quod pleriq; scriptores solēt, ut de his
 detraham qui uicti sunt, cum intelligam gloriæ tuæ accedere, si omnia de illis
 quæ bona in se habuerunt, uera prædixero.

AELII LAMPRIIDI

ANTONINVS DIA- DVMENVS. ♀



ANTONINI Diadumeni pueri, quem cum patre Opi-
 lio Macrino imperatorem dixit exercitus, occiso Bas-
 siano, factione Macriniana, nihil habet uitæ memo-
 rabile, nisi quod Antoninus est dictus, & quod ei stu-
 penda omnia sunt facta imperij non diuturni, ut eue-
 nit. Nam cum primū innotuit per legiones occisum
 esse Bassianum, ingens mæror obsedit omnium per-
 ctora, quod Antoninum in rep. non haberent, existi-
 mantium quod cum eo Romanum esset imperium
 perituum. Id ubi Macrino iam imperatori nunciatum est, ueritus ne in aliquē
 Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pij erant, inter duces exercitus
 inclinaret, statim concionem parari iussit, filiumq; suum hunc puerum Antoni-
 num appellauit. Concionis uerba eiusdem. Videtis commilitones, & me ætatis
 prouectæ, & Diadumenum puerum, quem diu principem, si dij faucant, habe-
 bitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antoniani nominis apud uos ma-
 nere, quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum
 superesse uidetur ad uitam, hunc puerum Antoninum uobis autoribus nuncu-
 po, diu uobis Antoninum representaturum. Acclamatum, Macrine imperator
 dij te seruent. Antonine Diadumene dij te seruent. Antoninum diuum omnes
 rogamus, Iuppiter optime maxime Macrino & Antonino uitā. Tu scis Iuppiter
 Macrinus

» Macrinus uinci non potest. tu scis Iuppiter, Macrinus uinci non potest. Antoni-
 » num habemus, omnia habemus. Antoninū nobis dii dederunt patrem. Anto-
 » ninus dignus imperio, Macrinus imperator dixit. Habete igitur commilitones
 » pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas pro Promotio:
 » motiones, sed geminatas, dii faciant, ut hæc sapius fiant. Dabimus aut per curi-
 » cta quinquennia id, quod hodie deputauimus. Post hoc ipse puerulus Diadu-
 » menus Antoninus imperator dixit, Gratias ago uobis comilitones, quod me
 » imperio donastis, & nomine, siquidem dignos & me, & patrem meum duxistis,
 » quos imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis Remp. Et pater
 » quidem meus curabit, ne desit imperio. Ego autē elaborabo, ne desim nomini
 » Antoninorum. Scio enim me Pij, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus
 » satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa imperij, causa nominis id omne,
 » quod pater, & tantūdem promitto honoribus, & ut uenerandus Macrinus pa-
 » ter præsens promissit, duplicatis. Herodianus Græcus scriptor hæc præteries,
 » Diadumenū tantum Casarem dicit puerum à militibus nūcupatū, & cum pa-
 » tre occisum. Hac habita concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini
 » Diadumeni nomine percussa est. Macrini usq; ad iussum Senatus dilata est.
 » Missæ etiā ad Senatū literæ, quibus nomen Antonini indicatū est. Quare etiā
 » senatus imperium id libenter dicitur recepisse, quous alij Antonini Caracalli
 » odio id factum putent. Parauerat sanè penulas populo coloris rosei dare Ma-
 » crinus imperator, in honorem Antonini filij sui, quæ uocaretur Antoniniana,
 » ut Caracallæ Bassiani dictæ sunt, asserens filium suum penuleum uel penulariū
 » dicendum, quia Caracallus esset dictus Bassianus, congiarium etiā prædictum
 » Antoninianū promissit, ut ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti. Vellē
 » quirites iam præsentem essemus. Antoninus uester, uobis congiarium sui nomi-
 » nis daret. Daret præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas,
 » quæ tam grati nominis gloriam propagarent, & reliqua. His ita gestis, signa
 » in castris, & uexilla fieri Antoniniana iussit. Fecitq; Bassiani simulacra ex auro,
 » atq; argento, atq; dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est.
 » Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, na-
 » so deducto ad omnem decorem, mento composito, ore ad oscula parato, fortis
 » naturaliter, exercitio delicatior. Hic ubi primū indumenta coccea, & purpurea,
 » cæteraq; castrensia imperij insignia accepit, quasi sydereus, & cælestis emicuit, ut
 » amaretur ab omnibus gratia uenustatis. Hæc sunt, quæ de imperio pueri dicit
 » da putauit. Nunc ueniamus ad omnia imperij, quæ cū in alijs, tum in hoc præci-
 » pue sunt stupēda. Die qua natus est, pater eius, purpuras tunc forte procurator
 » iam ærarij maioris inspexit. Et quas daras probauit, in id cōclauē redigi præce-
 » pit, in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo
 » insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, & aduocatis credulis uendunt, siqui-
 » dem cauidici hoc iuari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema
 » tenue, sed ita forte, ut rumpi nō potuerit, uiris intersedētibus specie. Neruis agi-
 » tari ferunt, deniq; Diadematū puerum appellatū. Sed ubi adoleuit, aui sui no-

B mine

† Alia lectio:
 ut rumpi nō
 potu. interce-
 den. specie
 nerui sagitta
 rij. Ferūt &c.

mine materni Diadumenū uocatum, quàmuis nō multum abhorrerit ab illo signo diadematis nomē Diadumeni. In agros patris eius oues purpureas XII ferunt natas, quarū una tantum uaria fuerit. Eadem die, qua hic natus est, qui lam ei constat sensim palumbū regium paruulum attulisse, & posuisse in cunis dormiēti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris eius nidum posuerunt. His diebus, quibus ille natus est, mathematici accepta genitura eius exclamauerunt & ipsum filium imperatoris esse, & ipsum imperatorem. mater eius adulterata esset, quod fama retinebat. Hinc eidē aquila pileum in agro ambulanti tulit. Et cum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio, quod iuxta uillam esset, in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuisset ita, ut capiti eius aptaret, quod multi ominosum putarunt, & morti accommodum. Clarum autē euentus ostendit. Natus est præterea natali Antonini, & ea hora, & signis propè continentibus, quibus & Antoninus Pius, quare dixerunt mathematici, & imperatoris illum filium futurum, & imperatorem, sed nō diu. Die, qua natus est, quod Antonini esset natalis, mulier quædam propinqua dicitur exclamasse, Antoninus uocetur. Sed Macrinum timuisse, quod nullus ex eius genere hoc nomine censeretur, abstinuissetq; nomine imperatorio, simul quod iā rumor de uī genitura illius emanasset. Hæc atq; alia omnia fuisse multi in literas retulerunt. Sed illud præcipue, quod cū in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis uinculis, & quidē ferus effugisset, atq; ad incunabula eius uenisset, puerum delinxit, & inuiolatum reliquit, cum nutrix se in leonem misisset, atq; eius morſu affecta periisset, quæ sola forte in areola inuenta erat, in qua infans iacebat. Hæc sunt, quæ digna memoratu in Antonino Diadumeno esse uidentur. Cuius uitā iunxissem patris gestis, nisi Antoninorū nomen, me ad ædendam puerilis specialem expositionem uitæ coëgisset. Et fuit quidē tam amabile illis temporibus nomen Antoninorū, ut qui eo nomine nō niteretur, mereri non uideretur imperium. Vnde etiā quidam & Seuerū, & Pertinacem, & Iulianum Antoninorū prænominebus honorādos putant. Vnde postea duos Gordianos patrem, & filium Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est cum prænomen adſciscitur, aliud cum ipsum nomen imponitur. Nam Pius uerū nomen Antonini habuit, cognomen Pij Marcus, uerum nomen uerissimi habuit. Sed hoc sublato, atq; abolito, nō prænomē Antonini, sed nomē accepit. Verus autē Commodi nomē habuit, quo abolito, Antonini nō prænomen, sed nomē accepit. Commodum autē Marcus Antoninū appellauit, atq; ita in publicū ædificauit diem natalis sui. Iam Caracallum Bassianum satis constat uel somnii causa, quod Seuerus uiderat, cū sibi Antoninū successorē prædictum sensisset. Anno demū XIII Antoninū dixit, quando ei etiā imperatoriā addidisse dicitur potestatem. Getam uero, quæ multi Antoninū negant dictum, eadem ratione, qua Bassianū appellatum satis constat, ut patri Seuero succederet, quod minime factum est. Post hoc ipse Diadumenus, ut cōmendaretur exercitui, senatui, populoq; Romano, essetq; ingens desyderiū Bassiani Caracallæ, Antoninū appellatum satis cōstat. Extat epistola Opilij Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam

non tã se ad imperiũ peruenisse, qui esset secundũ Remp. quàm quod Antoniniani nominis esset pater factus, quo clarior illis temporibus nõ fuerat uel deorum. Quam epistolam priusquam interferam, libet uersus inferere in Commodum dictos, qui se Herculem appellauerat: ut intelligãt omnes tam clarum fuisse Antoninorum nomen, ut illi nec deorum nomen commode uideretur ad iungi. Versus in Commodum Antoninum dicti.

- » Commodus Herculeum nomen habere cupit,
- » Antoninorum non putat esse bonum.
- » Expers humani iuris, & imperij,
- » Sperans quin etiam clarius esse deum,
- » Quàm si sit princeps nominis egregij,
- » Non erit iste deus, nec tamen ullus homo.

Hi uersus à Græco, nescio quo, compositi, à malo Poëta in latinũ translati sunt. Quos ego iccirco inferēdos putauit, ut scirent omnes Antoninos pluris fuisse q̃ deos: ac trium principum amore, quos sapientia, bonitas, pietas, cõsecrata sit. In Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia. Redeo nunc ad epistolã

- » Macrini Opilij. Opilius Macrinus Noniã Gellã cõiugi. Quid boni ad/ Alst Celsæ.
- » pti sumus mea uxor caret aestimatione, & fortassis de imperio me putes dicere.
- » Non magnũ istud, quod etiã indignis fortuna concessit. Antonini pater factus
- » sum. Antonini mater es facta. O nos beatos, o fortunatam domũ, Prædarã lau
- » dem nũc demũ felicis imperij. Di faxint, & bona Iuno quã colis, ut & ille Anto
- » nini meritũ effingat: & ego, qui sum pater, Antonini dignus omnibus uidear.
- » Hęc epistola indicat quantũ gloriã adeptus sibi uideretur, quod uocatus est fi
- » lius Antoninus. Hic tamẽ XIII mense imperij ob inciuilem patris, atq; asperũ
- » principatũ interfectus est, cũ patre non suo nomine. Quãuis etiã istum ultra
- » atate sæuissè plerosq; reperiã, ut docent literæ ab hoc eodem ad patrẽ missæ.
- » Nam cum quidã defectionis suspiciõẽ incurrissent, & eos Macrinus sæuissime
- » punisset filio forte absente, atq; hic audisset autores quidẽ defectionis occisos,
- » quorũ tamen unus dux Armeniã erat, & item legatos Asiã, atq; Arabiã ob an
- » tiquam familiaritatẽ dimissos: his literis conuenisse patrẽ dicitur, paribus missis
- » etiã ad matrem, quarũ exemplũ historiã causa inferendũ putauit. Patri Au
- » gusto filius Augustus. Non satis mi pater uideris in amore nostro tenuisse
- » tuos mores, qui tyrannidis affectatã conscios reseruasti: sperans eos uel amicio
- » res tibi futuros, si ijs parceres, uel ob antiquã familiaritatẽ dimittendos. Quod
- » nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium iam te exulceratis suspiciõni/
- » bus amare non possunt. Deniq; crudeliõres inimici sunt, qui oblitũ ueteris fami
- » liaritatis se inimicissimis tuis iunxerunt. Adde quod exercitus adhuc habent.
- » Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
- » Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli
- » Respice, cui regnum Italiã, Romanãq; tellus
- » Debetur. Feriendi sunt isti, si uis esse securus. Nam uitio generis humani
- » alij nõ sint defuturi, cui isti seruãtur. Hanc epistolam quidã ipsius, quidã ma/

gistrum eius Celiiani ferunt, Afri quondam rhetoris. Ex qua apparet quam asper futurus iuuenis, si uixisset. Extat alia epistola ad matrem ab eodem destinata talis.

Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur, ut Arabianus, & Thuscus, & Gellius ad palum deligantur: ne si occasio fuerit, nos interimant. Et quantum Lollius Urbicus in historia sui temporis dicit, istae literae per notarium proditae, illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam cum patrem occidissent, quidam hunc seruare uoluerunt: sed extitit cubicularius, qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur amobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum charitate nominis inclinauit exercitus. Is filius Bassiani Caracallae ferebatur: erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerat imperium. De quo quidem, quia multa sunt dicenda, loco suo disseram.

Afist Caracalli.

I V L I I C A P I T O L I N I

OPILIVS MACRINVS

A D D I O C L E T I A N V M

A V G V S T V M.



ITAE ILLORVM PRINCIPVM, seu tyrannorum, siue Caesarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent. Iccirco quod neque de priuata eorum uita digna sunt quae dicantur, cum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad imperium: & de imperio, quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt. Nos tamen ex diuersis historijs erutam lucem proferemus, & ea quidem, quae memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in uita, qui non ad diem quodcumque fecerit: sed eius, qui uitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum imperatorum uitas aedere, quos obscuriores uidebat: qui non multum profecit. Nam & pauca repperit, & indigna memoratu, asserens se minima quaeque persecuturum, quasi uel de Traiano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos uariauerit, & quando uestem mutauerit, & quos quando promouerit: quae ille omnia exequendo libros mythistorijs repleuit talia scribendo: cum omnino rerum uilium, aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui reuera sciendi sunt, sed ex parte conscribam, ut & ea caetera colligantur. Occiso ergo Antonino Bassiano, Opilius Macrinus Praefec. praet. eius, qui antea priuatus curabat, imperium arripuit: humili natus loco, & animi, atque oris inuerecundi: seque nunc Seuerum, nunc Antoninum, cum in odio esset omnium & hominum, & militum, nuncupauit. Statimque ad bellum Parthicum profectus, & uindicandi se de militibus seu rumoribus, quibus premebatur, adolescenti potestatem dempsit. Quamuis

Afist adolefcenti.

Senatus